



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

11. Quo modo pisces foßiles sub terram venire poßint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

§. XI.

*Quo modo pisces fossiles sub terram venire possint?*

Nam ut allatis rationibus satisfiat, si i. quæritur: *Quo pacto pisces ibi generentur, vel eò per terras penetrent?* Ex illo ipso vel Aristotelis, vel Theophrasti libello de mirandis auditionibus responsum accipimus; ait enim. *Circa Liguriam, in Massiliensium agro stagnum quoddam reperiri asserunt, quod ebullire, ac aquas superfundere aiunt, tantamque piscium copiam eicere, ut nec credere dignum sit. Cum verò Etesia efflant, terra pulverem super se obducit, eumque talem illic procreat, ut superficiem eius, ceu solum firmet. Ceterum indigenæ tridente id interrumpunt, & quotquot pisces voluerint, promptè excipiunt. Quod si hoc testimonium vacillat, ob illa verba: ut nec credere dignum sit. Strabonem audiamus: E Pyrena fluunt Roscyno, ait, & Illybernis, uterque urbem habens cognominem. Roscynoni etiam lacus est propinquus, ac paulò supra mare locus aquosus, plenus salinarum, is etiam fossiles habet mugiles; ubi enim duos aut tres pedes foderis, immisso in aquam limosam tridente, configere licet piscem eum iustæ magnitudinis, is alitur limo sicut anguilla.*

Certè

Aristot.  
lib. de ad-  
miranda  
audit.  
c. 87.

Strabo.  
lib. 4.  
Geogra-  
phor.

Poly. l. 34.  
 histor.  
 Athen.  
 lib. 8. c. 1.

Certè vt nemo negare potest, pisces à glacie, tempore hiemali, intercipi, ita proteruum est, inficiari, pisces ab arenis aut limo obrui. Ita Polybius, *planitiem esse*, inquit, *post Pyrenem, ad Narbonem, usque fluuium, per quam Illybernis, & Roscynus ciuitates à Celtis conditas eiusdem nominis alluentes defluunt, in qua pisces sint effossi. Habet autem hæc planicies terram exolutam, multumque gramen innatum. Subter terra est sabulosa ad duas vel tres vlnas, sub qua aqua inuenitur, que à fluminibus aberrauit, in qua pisces sub terra discurrunt per riuos ipsas cibi gratia: quia graminis radicibus mirum in modum delectantur, totam planiciem idcirco pisces subterranei occupârunt, quos excauantes capiunt. Hæc Polybius. Et apud Athenæum, Democritus: Opus est autem, inquit, vt vos etiam pisces, effossos dictos, in obsonium parum capiatis, qui nascuntur in Heraclea, & apud Tium Milesiorum coloniam; de quo scribit Theophrastus. Hic idem Philosophus de piscibus, in glacie, per hiemem compactis, qui non priùs sentiunt, aut mouentur, quàm in ollas coniecti coquantur. Illud proprium est, quòd præter hos, ijs piscibus accidit in Paphlagonia, qui effossi dicuntur: nam in*

pro-

profundum, in ijs locis excavari, inquit, quæ neque fluviorum, neque calidarum aquarum habeant fluxus, piscesq; ibi vivos inueniri.

§. XII.

An, & quomodo pisces extra aquam vivere, & respirare possint?

Sed hinc nascitur altera quæstio, Quomodo hi pisces extra suum elementum vivere; & tertia, Quomodo intra terram respirare possint? Ad tertiam facilis est responsio. Si enim (vt aduersarij volunt, & se demonstrare putant) certius est, pisces omnino non respirare, nullo aëre ad respirandum indigent. Quòd si autem sub glacie suffocati pisces ostendunt, illos aëre indigere, multa dici possunt. Nam sicut vrinatores spongiam oleo imbutam in os indunt, quando sub aquis sunt; ita sæpius vidimus carpionem, panis bolo imposito, diu extra aquam vivere: si ergo illis spongiæ oleum pro aëre, huic panis bolus, pro aqua esse potest, cur non & frigida terræ gleba id pisci præstare queat? Deinde:

*Quidquid est, ait Plinius, hoc certè minùs admirabile facit talparum vita, subterranei animalis, nisi fortè vermium terrenorum & piscibus natura est.* Siue ergo aëre opus est

Plin. l. 9.  
Nat. hist.  
cap. 57.

F

piscibus,